



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VI. Quia in Visitatione Elisabethæ, non solùm ipsa humilitate plena fuisti
quâ Deum Joanni attulisti, sed mundum ad te attraxisti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

ille mulierem formaret. Itaq; cum *August. serm. 1. in Annunt.* dicendum, O R. Maria quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perditio. Quas tibi laudes fragilitas humani generis per solvat? quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit. Incarnatio Dominica à Psalmista Psal. 71. appellatur Pluvia: *Descendet sicut pluvia in vellus.* D. Virgo est Nubes, juxta *Ambros. exhort. ad viduas* quæ nobis hanc Pluviam attulit. Sed quod hæc meruerit, testatur etiam *Angelus in serm. de excell. Virg. quem dicit S. Brigittæ cap. 5.* Tu ô Felix Maria virtutum plenissima, post tuam creationem Divinâ opitulante gratiâ, omnia quæ tecum Deus facere dignatus est, cum omnium virtutum perfectione dignissimè meruisti. *Chrysost. hom. de Interdict. Adam.* Confensus Mariæ peperit mundo Salvatorem, restauratur per Mariam, quod per Evam periêrat. *Et paulo post.* Redditur per Mariam Vita, quæ per Evam fuit interrupta. Denique ut *Bernard. serm. super Signum magnum.* Vehementer nobis vir unus & mulier una nocuere, sed gratias Deo per unum nihilominus Virum, & Mulierem omnia restaurantur, cum magno scœnore gratiarum, neque enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem beneficii magnitudo. *S. Bernardus dicit serm. 51. 1. cap. 3.* Et charitatis quoque ardore etiam humanæ salvationis toto affectu desiderabat Incarnationem Filij Dei, nam & totus impetus primæ sanctificationis mentem hujus SSmæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorum: proindè omnes virtutes ardentissimæ mentis in id, quod postea factum fuit, in ea toto conamine inflammabant animam ejus. *Et postea.* Ideo nobis est inexpressibile illud desiderium fervidum, & languentis orationis suspirium, quo suspirabat ad Deum, ut Filium suum mittere dignaretur ad nostrâ alluendam naturam. *Et S. Bernardus sub allegoria Aquæ ductus serm. de Nativitate Virg.* sic loquitur. Sed quomodo hic noster Aquæ ductus fontè illum attingit tam sublimem? Quomodo putas nisi vehementiâ desiderij, nisi fervore orationis? ad hæc ergo omnia, ut ad metam collimabat Deus Filium missurus.

6. Quia in Visitatione Elisabethæ, non solum ipsa humilitate plena fuisti; quâ Deum Joanni attulisti, sed mundum ad Deum attraxisti.

Bene S. Bonavent. in Psal. quinqu. 1. Virginem S. appellat Finem iræ Dei, ecce statim ut intravit ad Joannem fecit Filium gratiæ. In cœlo ponitur signum Virginis inter Leonem, & Libram, talem nostram Virginem, id est Astram vocat *S. Hieron.*

S. Hieron. *epist. ad Principiam*. Quoniam ipsa inter Deum Judicem, & hominem iudicandum media intercedit. Ubi legit Vulgata *Requiescit super eum* (Mefsiam) *Spiritus sapientie, & intellectus*, Nazaræi legūt. *Descendet super eum omnis fons Spiritus S.* Fons verò non solet se continere, sed effunditur, ita Christus transfudit se in Joannem. *Ambros. in Psal. 118.* Labia Sponsæ dicuntur coccinea, id est rubore quodam sanguineo cum dignitate suffusa, quia hæc tincta sunt Christi sanguine. Et certè sanguinis Christi effectum locata Joanni. *Ambros. in Luc. 2.* Exultavit Joannes audità Dei Verbi voce, sed & Virgo uncta oleo exultationis præ participibus suis sic dulcedine æternorum imbuta est, ut omnium creaturarum gaudijs quasi oleum cæteris liquoribus supernaret: ideo exultavit spiritus Mariæ in Deo. Vox Virginis, vox adducens Spiritum S. *Luc. 1.* *Factum est ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero, & repleta est Spiritu S. Elizabeth.* *Toletus & Baronius* civitatem in qua convenit Elizabetham, volunt Hebronem vel Chebronem, iter confecit miliarium Italicorum centum duorum circiter. Memoriam facti Ecclesia celebrat, non in fine Martij quando iter susceptum est, sed ineunte Julio, quando Virgo domi rediisset, & tum Joseph advertit gravidam, ac sollicitudinem concepit. Quando Virgo dedit vocem: *Ecce Ancilla Domini*, Spiritus S. formavit corpus Christo, *Cum eo eram cuncta componens.* *Prov. 8.* Ecce Joannem rursum componit cum Christo. *S. German. orat. de Present. B. Virginis.* Virgo est Collectrix malè consonantium, & Conjunctrix jam olim disjunctorum. *August. lib. de S. Virg. c. 6.* Maria & spiritu, & corpore Christum peperit. Corpore Christum ut caput nostrum, spiritu autem, quia nos ejus membra computamur. *S. Sabbas mihi testis & per eum tota Græca Ecclesia, quomodo id Virgo præstet.* Ad misericordiam tuam omni admiratione majorem, atque ad tuam ardentem pro nobis intercedendi cupiditatem confugio miserimus. *Rupert. in Cant. 5. Adjuo vos etc.* Quid efficit hæc adjuratio! ego nimirum, ut percussa percutiat, vulnerata vulneret Mater Filias salubriumque vulnorum suorum, aliquod etsi non statim omnibus, at saltem jam aliquibus eorum experimentum faciat. (Vulnerasti enim cor meum præcessit) ut audientes filia, vel sentientes in Matre tantum vitæ futuræ quæ non videtur desiderium in mète, præsentiant & ipsæ talem illum esse dilectum, ut jure propter eum fastidiat quivis, vel quævis hoc præsens sæculum.

Quàm multa conferre possem exempla desiderij istius. Quò enim spectant aliò tot imagines, quas Virgo obtrusit ferè populis, ut earum cultu ipsa ad orandum pro illis invitaretur? quò tot templa ejus jussu, delineatione, imò impensis ejus nomini erecta? Tangrensem in Hannonia imaginem, quæ teste *Roberto*

Hieronymus. anno 1581. in clara nube spectantibus populis & cantu Angelorum percipientibus: in hortum Hectoris Dynastæ ejusdem loci Tungrentis delata: & et eo loco cum in templum iterato ac tertio transportaretur, per eosdem Angelos restituta, spectantibus & audientibus ad eam rem deputatis Commissarijs à Joanne Episcopo Cameracensi: viderunt promoveri per aëra, conspexerunt, quæ ferebatur, nubem candidam, suavem, coelestemque sonum audiunt: aërem leniter. Nè graventur homines in Dei atque ejus cultu impensas, aliquando provident, ut legitur apud *Joann. Bapt. Albes*. Vixit Eremita quidam in Tremitoria maris Adriatici insula, huic Domina nostra impetravit, ut templum Deo in sui memoriam magnificentum extrueret, interea pauperiem suam Eremita opposuit: Non procul inde ostendit illi Virgo locum, ubi esset thesaurum reperturus fabricæ suffecturum, sepulchrum id erat Diomedis terrâ obrutum, in quo & corona, & thesauri reperti. Sed amplius Virgo procedit & ad cultum Dei subinde populos videtur compellere, unum sit inftar plurium quod ex *Alano de Rupe Psal. 3*. Laborabat in partibus Tolossanis S. Dominicus: qui postea Fundator Ord. Prædic. circa conversionem hæreticorum, sed ferè nullo successu recepit itaque se in silvam, ut ibi liberius quâ orationibus, quâ sui afflictione opem Numinis imploraret: adfuit illi Virgo Sacra, & monuit, ut conversionem hæreticorum inciperet à suasionem cultus sui per recitationem Rosarij: redit Tolossam, & omnes campanæ spontaneo ceperunt convocare pulsu ad ædem S. Romani populum, ibi incipit commendare devotionem S. Dominicus, sed audita minus in animos descendebant, Juvat Virgo Sacra. Tempestatem jubet cooriri terribilem tonitruis, ac fulminibus, ut mundum ruere crederes. His percussus populus, promissit omnia Sancto Viro, dum tempestatem coercuerit, quod utrumque præstitum. Mons etenim est Virgo, qui non sibi pluviam coelestem conservat, sed in nos valles humiles derivare conatur. Est *Virgula fumi ex aromatibus descendens* Cantic. 3. Aromata enim non occultant intra se odorem suum. Est Virgo Paradisus, uti *S. Bernardus serm. 3. in Salve Regina loquitur*. Sed de hoc Paradiso quatuor flumina egredientia, quatuor orbis plagas irrigant. *Guiliel. Durandus in Rationali lib. 7. cap. 7*. Omni tempore memoriam in Mariam habere debemus, quæ omni tempore ad Filium suum pro nobis peccatoribus intercedit.

7. Quia non solum ipsa es humillimè purificata,
sed etiam nos Deo purificas.

S. T. m.